

F. K. 59

Zc  
1249

RECTOR  
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS  
**ANDREAS  
FLORENS  
RIVINVS**

ORDINIS IVRIDICI SENIOR  
POTENTISSIMI REGIS POLON. ET PRINC.  
ELECT. SAXONIAE CONSILIARIUS AVLICVS DIG.  
VET. PROF. PVBL. ORDINARIUS CVRIAEC PROVINCIALIS  
CONSIST. ECCLESIAST. ET SCABINATVS  
VITEMBERGENSIS ASSESSOR

**GEORG. GVILIELMI  
KIRCHMAIERI**

POTENTIS. REG. POLON. PRINC. ELECT. SAXON.  
A CONSILIIS, L. GRAEC. PROF. PVBL. ORDIN. ATQVE  
ACADEMIAE SENIORIS  
NON. AVG. 15 CC LIX  
BEATE DEFVNCTI

**VITAM ET MEMORIAM  
CIVIBVS ET POSTERITATI  
COMMENDAT**

---

PRELO EPHRAIM GOTTLLOB EICHSFELDI  
ACADEMIAE A TYPIS



253 26  
R E G T O R  
ACADEMIA AVILESHERENSIS

A M D I A S

E P O H E I N .  
R I V I N A

О ПЛЯ БИДОЛЯ ЕИДОЛ  
ПОЛУЧИСТЬ СВОЮ ТЕ ПРИЧ  
СОВОКУМУ СВОЮ ВАДИ  
СОВОКУМУ СВОЮ ВАДИ  
СОВОКУМУ СВОЮ ВАДИ

ИМЕНІЯ  
ІРІЕЯНОВІ

ІРІЕЯНОВІ  
ІРІЕЯНОВІ

МАЛОНІЧНІ МАДІ  
АЛІСІОВІ СІДІ  
ІРІЕЯНОВІ

ІРІЕЯНОВІ СІДІ СІДІ

**M**ultum refert, admoneri posteros laudabilem exemplorum, quibus maiorum actas inclaruit, tam ad virtutem acuendam, quam consolandos animos, vbi ea incidunt, quibus summa felicitatis nostrae momenta vertuntur. Omnium autem, quae homini proponuntur, supremum quum sit, vitae exitus, post quem nihil in potestate amplius habeamus, quo conditio nostra melior fieri possit; satis adparet, qua cura et sollicitudine ad hunc tota vita parari nos eonaeniat. Memorabilis mors fuit Caesaris Augusti, quam Suetonius Tranquillus sic narrat, ut multa admirationis incitamenta relinquere voluisse videatur. Causam valetudinis in itinere contraxerat, quam tamen initio sic contempsit, ut nihil ex solidi hilaritate remiserit, neque a destinata profectione reuocatus sit. In reditu vero sepsit vim morbi dissimulatam potius, quam vietam fuisse, ut cubare Nolae cogeretur. Ita instantia praesagiens Tiberium successorem Beneuento, quo prosecutus illum fuerat, reuocari iussit, et diu secreto sermone detinuerat. Non est obscurum, occuruisse menti, de futuris sollicitate, curam imperii, quod modo relicturus erat. De hoc vbi praecepit, quae voluerat, nulli post maiori negotio animum adcommodeauit; quieti forte et tranquillitati animi consulturus, ne constantia sapientis aliquid indignum admitteret, si angusti metu mortis crederetur. Venerat supremus dies, et identidem exquirebat, an iam enotuisset, se se deficere, et an tumultus foris esset. Petito ergo speculo, capillum sibi comi ac malas labentes corrigi praecepit, quod securitatem adfectantis haud dubium indicium erat. Sed amicos postremum admissos, tanquam integracientis fidem facturus, percunctatus, ecquid iis videretur minimum vitae commode transfigisse, adiecit et clausulam Graecis versibus, quorum ea fere sententia: si bene acta cuncta fuissent, ludo plausum ut darent et laetitiamclaro sonitu testarentur. Dimissis omnibus, dum quosdam ab urbe venientes de Drusi filia aegra interrogat, repente in osculis Liuiae et in hac voce defecit: Liuia nostri coniugii memor uiue ac vale! Hunc facilem exitum, et qualem semper, Graeco verbo vissus, εὐθανασίαν optauerit, historicus praedicat, et studiosius exsequitur, ut posteritati constantiam et magnitudinem animi eius commendet. Sunt in his, quae nihil abiectum aut vulgare spirent. Fortiter morbo restitisse, non metu mortis anxius fuisse, vitam lusum atque fabulam putasse, arguit sapientum praecepta, qui de finibus bonorum atque malorum et virtutis perfectione acrius quaerebant, et nos de vita, sicuti coniuas saturos, exire oportere volebant. Veremur nihilominus, ne ad haec quoque adcommodeari possit Taciti illud: multis hinc ipso de Augusto sermo, plerisque vanâ mirantibus. Christiana certe si sapientia vtemur, tantum aberit, ut felicem hunc Augusti discessum existimare liceat, ut potius miserandum eius omnibus modis videatur. Nobis fo-



lis datum est intelligere ac sentire, quantum in eo mali insit, si qui sine spe moriantur. Falsa est ista, quam philosophi profani singunt, securitas, quae, quasi post mortem nihil porro sperandum metuendumque restet, curae futurorum expertes dimitit. Nos ludum et fabulam vitam ducimus, quantum ad res caducas et ad viles corporum exuias attinet; sed vera hominis, deo parentis, studia si species, viuendi ex Christi seruatoris praecepsis ratio magnitudinem omnium imperiorum superat. Seueritas nostrae disciplinae ea est, ut nunquam securi minus esse possumus, quam cum sarcinae colligendae, et magna illa ad regiam Dei immortalis profectione instituenda est. Tunc quidquid curarum menti obici potest, semel nos sic circumstat, ut non vitae desiderium, non propinquorum caritas, non mortis terror magis animum adficiat, quam placandi Dei cogitatio et liberacionem culpae a Christo, sponsole salutis, impetrandaec meditatio. Non tunc vacat constantiam, magnitudinem animi, fiduciam virtutum nostrarum in praesidium aduocare, cum inopes consilii atque solitari per nos ipsos solliciti et anheli extemos et deficients sensus ad solam redemptoris opem exorandam reseruamus. Atque sic quidem luctantibus et salutari tristitia perfusis paullatim diuina benignitas, recluso coelo, praesentis Christi rectoris et domini candidissimum lumen aperit, abstersisque lacrimis, et propulsatis terroribus, arcem inexpugnabilem aeternae civitatis nostrae, in qua nemo luctum, nemo dolorem, nemo curam sentit aut perfert, pandit, datoque spei melioris signo, tota diuinitas menti expiatae et in gratiam receptae infunditur. Inde autem sectatorum Christi mors multum a sapientum securitate fallacissima et insidiosa, multum a stoliditate et leuitate intrepide fato occurrentium, abhorret. Vno illo momento suspenditur, quidquid et ad vitam instituendam et ad felicitatem comparandam pertinet; unde nemo rationis atque sanitatis amans in illo otiosus aut incuriosus deprehendi optauerit, qualem fere *eu9avaoray* somniasse Augustus videtur. Haec qui perpenderint, illud minime dubitabunt, vitam sapientiae Christianae studiosorum nihil aliud esse posse, quam meditationem mortis quotidiam et ad futurae liberationis spem exercitationem. Diui Pauli religiosissimum illud votum, quum sensu infirmitatis culparum que suarum cito ab ergastulo corporis liberari et ad Christum viactorem transferri cupit, sacramentum nostrum sit, quod nos deo omnibus horis momentisque obliget, quod mentibus veterum excutiat, quod nos longae securitati indormientes excite, quod nos recuperati coeli candidatos ad strenue excubandum cuncta per praefidia, quibus hostes immincent, instinguat. Non supersunt tempora desideri aut tergiuersandi his, quos mutare consilia salutis caussa haud poenituerit; sed animis, viribus, et studiis opus est, matureque occupandum, quod cum omnibus in ster,

stet, corrigi non potest, vbi semel secius ceciderit. Non est  
praebenda auris diffidentiae, quam nostrae labiis acrior sensus  
gignit; sed exaudienda Christi est vox, ad ipsius opem decurre-  
re imperantis omnes, qui suo oneri ingemiscant. Illic lactae  
vices, et secunda ex aduersis, atque post immanes procellas se-  
renum ingens, modo ut disciplina adstringamur. Valeat illorum  
petulans et lascivus grex, qui, ut religionem nostram conte-  
mnant atque irrideant, insipientis sapientiae consulti semper a ve-  
ro aberrant, et gygantum instar coelum oppugnant, ut e rerum  
fluxarum atque mutabilium solatiis animi tranquillitatem sperent:  
nobis dei noua lux, ad quam tot horatibus vocamur, adspici-  
enda est, ut pulsis naturae ignavae nubibus aeternum diem in-  
tueamur. Habet sancta Dei ciuitas inde ab ultima origine tot  
exempla, quibus firmare animos expediat, ut nemo caussari rei  
difficultatem possit, nisi qui rerum gestarum fidem abiurare pa-  
ratus sit. Et daremus licet, quod tamen dari non potest, nihil  
tribuendum auctoritati tot scriptorum, qui Christi imitatores iu-  
stis praeconii celebrarunt; nonne circumferendo modo oculos  
praelentia vbique experimenta deprehendimus, quam faciles, sed  
non ad sensus profanorum, exitus nanciscantur, si qui animum  
Deo, salutis auctori, dederunt. Horum mortes nemo, cui vel  
humani aliquid superfit, adspexit, quin magnos motus, sentiat,  
sibique finem similem optet. Et lectos certe aegrotorum, Chri-  
stum spirantium, multis scholas pietatis et religionis fuisse, quis  
ignorat? Quo magis pium iustumque est, non praeterire silen-  
tio, eos, qui sic vixerunt, ut mors fidei Deo seruatae documen-  
tum esset. Propaganda enim ad memoriam sempiternam sunt  
res diuinae sapientiae cultorum, ut aduersariis eius pudor expri-  
matur, confirmeturque, qui fiduciam in ea ponunt, et prouoce-  
tur imitatio atque virtutis coelestis et purae amor in animis ho-  
minum, salutis cupidorum, ingeneretur. Est et illud summi of-  
ficii, viuentes ut honorando mortuos ostendant, quo in pretio  
virtutes habeant, ut earum gratia eo maior sit apud hos, qui  
nondum fructus gustarunt.

Est hoc tempus, quo efferrimus virem illustrem, antiquitate  
loci et meritis pluribus conspicuum, et qui viuendi Christiane  
spatio superauit plures, cui talis meditatio conueniat, ut quae  
maxime.

Vixit enim, et ad Christum, ducem atque principem salutis  
nostrae, transit, GEORGIVS GVILLEMVS KIRCH-  
MAIER, POT. REG. POL. PRINC. EL. SAX. A CONSILIIS, L.  
GRAEC. PROF. P. ORD. ATQVE ACADEMIAE SENIOR.

Vita eius quum litteris iam sit magna ex parte mandata, non  
id huius loci fuerit, totam eam pro eo, ac par effet, exponere.  
Summatim tamen attingemus, e quibus pateat; quam prosperam  
sui memoriam reliquerit.



Generis claritas eo minus hic commemoranda fuerit, quia litteratissimus Cruscius in poëmate, quod Athenas florentes inscripsit, maiorum eius seriem, magna ex parte indagatam, celebrat. Patrem habuerat GEORGIVM CASPAREM, ELOQ. PROF. P. ORD. ET HVIVS ACADEMIAE SENIOREM ATQVE LEOPOLDINAE SOCIETATIS SODALEM, cuius in litteras merita nemo paullo humanior ignorat. Natus A. sup. saec. LXXIII. prima iam in pueritia id ingenii lumen ostenderat, vt Misensem in scholam missus, clarissimisque praceptoribus in disciplinam traditus, tam celeres studiorum progressus habuerit, vt a patre anno aetatis XVIII. Vitebergam reuocaretur, et ab hoc vniuersa in litteratura erudiretur, atque ingenium aliquoties cum plausu publicaret. Orationes enim duas Latinas adolefcens adhuc publice habuit, in memoriam Andr. Sennerti, LL. Or. Prof. P. Ord. et Reginae Mariae. In theologia praecettores sibi legerat Phil. Ludov. Hanneccenium et Io. Georg. Neumannum; sed in totius humanitatis studiis adsestatus magnum istud academiae nostrae lumen Schurtzfleischium eo maiora indies operae pretia fecit, quo frequentius exercitationes publicas priuatasque excoluit. Elegentiae amorem in primis probauit, quum Sam. Strycii, quem tunc fama publica mire celebrabat, diligens auscultator, tum commentationis Heupelianae de Vlphilla, seu interprete LV. euangeliorum Gothicō, strenuus in disputatione publica defensor. Aliorum quoque virorum celeberrimorum institutione aliquamdiu vsus, alias demum academias, vt Lipsiensem Altorensemque, inuisit restincturus sitim, qua dudum ardebat. Tam curiosus enim litterarum, elegantioreas quas dicimus, erat, vt rei militaris quoque scientiam attingendam putaret. Itaque vsus magistro Vercnero, experto architecturae castrensis praecettore, sic profecerat, vt ipso vsu confirmianda doctrinae cupidine duceretur. Inde suscepito magnis cum sumtibus itinera Argentoratum versus, quod A. S. c1515c XCVI. a principe Ludouico Badensi oppognatum iri, opinio erat, ad exercitum usque imperatoris penetrauerat, quum, mutante hominum consilia fortuna, ista occasio subtraheretur; unde domum reuertens, et multa praeterea loca adiens, Brettani quoque, natalibus Melanchthonis claram, transiit, et Vitebergae eodem et proximo anno duas dissertationes de vrbe hac munienda publice proposuit, et iure docendi ob eas donatus, adfessor in ordinem philosophicum paullo post cooptatus est. Eloquentiae hinc studia, paterno exemplo incitatus, prosecutus est, et praemium diligentiae ipso huius saeculi initio professionem eius artis extra ordinem obtinuit. Illo tamen tempore cum amisisset patrem, et Schurtzfleischius eius in locum suffectus fuisset, professor Graecae linguae ordinarius constitutus omne studium eo contulit, vt elocutionem scriptorum sacrorum contra peregrinitatis accusationem defenderet, et multa

illo-



illorum loca, parum pie a nonnullis reprehensa, vindicaret. Non poterat ista diligentia latere, qua multorum sibi voluntates paraue-  
rat, vt anno huius saeculi XXI. consiliarii regii dignitate et lucu-  
lento salarii incremento ornaretur; qua munificentia principis sic  
vtendum statuit, vt inde fructus ad rem p. perueniret. Nam et  
multas alias commentationes academicas, iam antea publicatas,  
nouis accessionibus subinde auxit, et nouas adiecit, in quibus mul-  
ta humanitatis politioris argumenta sic tractauit, vt ante omnia  
rectus in rebus diuinis sensus et propugnandi pro religione stu-  
dium emineret. Scribendi certe genus, quod in sacris volumini-  
bus deprehenditur, multo adparatu doctrinae a cauillationibus  
vindicando, animum reuerentiae diuinis monumentis exhibendae  
vbique aequis arbitris adprobauit. Puriorum sacrorum eo modo  
suscepit caussam, vt publicato et misso Romam commentario do-  
ctissimo, de Lutheri oris et vultus habitu heroico, ad certamen  
prouocaret Quirinum purpuratum, qui et respondit saepius, et  
repositis diatribis nostri exceptus est. Ceterum et historiam pa-  
triae auxit iis lucubrationibus, quae intelligentibus indicio sint,  
quantum restet, vt res nostrae lumine quodam litterarum a plu-  
ribus illustrentur. Grauissimis saepe, et extra ordinem quidem,  
muneribus praefectus, integritate et sanctitate eminuit. Norat  
enim, frustra ad religionem prouocari, nisi officiorum cura adsit,  
quae illa nunquam tollit, sed multum perfectiora, quam vulgus  
existimat, requirit. In primis academiam nostram et urbem, qua-  
rum res pluribus opusculis illustrauit, semper amauit, quem litter-  
rarum, tum praecipue religionis purioris caussa. Nam huic tan-  
tum per omnia tribuit, vt in cultu diuino, quem sanctum castum-  
que et ritibus atque caeremoniis paeclaris sollemnem institui-  
mus, nemo eius adsiduitatem aquauerit; quin et summum hono-  
rem, qua potuit, sacris doctoribus habuit, et, in totius vitae acti-  
onibus vt eluceret venerandi numinis studium, elaborauit. In  
munere professorio, quod rarissimo exemplo ultra LVIII. annos  
sustinuit, praeter statos labores alia quoque instituit ad utilitatem  
studiosorum, vt domus eius perpetuo eruditissimis hospitibus  
floruerit, quos consiliis et litterarum subsidiis lubenter adiuuabat.  
In iis, quae scripsit numero non pauca, lima expolitioque adpa-  
rent; sed aestimationem omnibus praecipuum conciliat litteratu-  
ra rarior, qua in primis delectari solitus fuit. Vnde etiam exte-  
rorum studii cultus fuit, et epistolarum commercia cum summis

viris



viris habuit, cuius variae particulae per occasionem in lucem sunt editae. Coniugia sortitus tria felissima erat, quibus gentibus clarissimis coniunctus fuit FVG MANNIAE, HOLTZELI-  
AE, et HAHNIAE, genuitque in primo filiam CHRISTI-  
ANAM IVLIANAM, elocatam dudum IO. ZACHARI-  
AE HILLIGERO, V. S. Vener. S S. Theol. D. et sacrorum  
apud Seydenses Ephoro meritissimo, e qua iam dulces nepo-  
tes summae spei vidit, et filium ERIDERICVM GVILIEL-  
MVM, V. Cl. vectigalium Belzigii regiorum praefectum. Na-  
tu minima e coniugio secundo IOANNA CHARITAS ad-  
huc domum seruat, et, clausis patri luminibus, acerbi luctus pri-  
ma vulnus praesens exceptit. Ut autem in domo atque re fa-  
miliari administranda omnia praeclare et ad seueritatem miram  
composuerat; ita suis quoque ad idem specimem formatis egre-  
gie virtutibus et auctoritate praeluxit. Quantum in re p. prae-  
stiterit, academiae ter rector, bis pro rectore, septies ordinis  
philosophorum decurio, ab octo annis senior omnium collega-  
rum, neminem rerum nostrarum gnarum fugit. Sed nemo re-  
liquis perinde moueatur, quam illo animo, qui e Christo libe-  
ratore perinde pependerit. Temperantiae et sobrietati debu-  
erat, quod firmissima valetudine tot annos confecit. Mens se-  
rena et tranquilla aluerat vires corporis. Postremis adeo annis  
tota mente ad meditationem mortis conuersus erat, vt omni-  
bus palam indicaret, instare finem et spes ultimas. Non ta-  
men expauit mortis minas, sed illo robore religionis nostrae,  
quam acerrime defendeat, confidit, vt hinc felicitatis perpe-  
tuae sperandae initium duceret. Sic animatus, placiditate sin-  
gulis occurrit; ne cuiquam in officiis deesset, cauit; ostendit  
que ipsis rebus, quantum in exitu faciliter ex Christi fiducia  
fortunato situm momenti arbitraretur. Nostrum, CIVES, fu-  
erit, huic funeri ducendo totos accommodare animos; tam, vt  
istam perpetuam neque intermittendam vñquam, mortis com-  
memorationem nobis solam ad salutem proficere posse, statu-  
amus; quam, vt, honorem memoriae prosperrimae et genti  
clarissimae exhibendo, ostendamus, quanto opere in id in-  
cumbamus, vt sensu Christiano, neque ex profanorum leui-  
tate et securitate, nobis optemus faciles exitus, et ad Chri-  
stum liberatorem transitus. P. P. Vitebergae VII. Id.

Aug. clo lccc LIX.

vd 18

NR



F. K. 59

Zc  
1249

RECTOR  
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS  
ANDREAS  
FLORENS  
RIVINVS

ORDINIS IVRIDICI SENIOR  
POTENTISSIMI REGIS POLON. ET PRINC.  
ELECT. SAXONIAE CONSILIARIUS AVLICVS DIG.  
VET. PROF. PVBL. ORDINARIVS CVRIAЕ PROVINCIALIS  
CONSIST. ECCLESIAST. ET SCABINATVS  
VITEMBERGENSIS ASSESSOR

GEORG. GVILIELMI  
KIRCHMAIERI

PRINC. ELECT. SAXON.  
ROF. PVBL. ORDIN. ATQVE  
SENIORIS  
c 15 CC LIX  
EFVNCTI

MEMORIAM  
POSTERITATI  
ENDAT

TTLOB EICHSFELDI  
AE A TYPIS

